Chudzyński Gaspar

Słowakowic Ioannis Antonii: Holocaustum iustitiae —

HOLOCAUSTUM IUSTITIÆ,

ex erepto terris,

ad Supremum Cælestis Parlamenti Iudicium

VOCATO

Perillustri olim & Reverendissimo Domino

D. GASPARO CHUDZYNSKI

Sacræ Th: Doctore Almæ Metropolitanæ Ecclesiæ Gneznensis Canonico & Iudice Surrogato.

Dum ei

In alma Metropolitana Ecclesia Gneznensi inter magnos Peraugusti Capituli dolores ingentesq; omnium planctus, iusta persolverentur

FACTUM,

& a

M. JOANNE ANTONIO SŁOWAKOWIC in Vniversitate Crac: Philosphiæ Doctore in Academia Posnaniensi Grammatices Professore

Dolenti calamo

DEMONSTRATUM.

Anno quo Iudex Deus, legibus naturæ humanæ se subiecit 1698.

Typis Academiæ Posnaniensis.

HOLOCAVSTVM
JUSTITIÆ

GRande Palladij tribunal Iudicij,
supremam Delphiniorum sedem Assessorum,
ædem securitatis intactam, pacisq; optatæ
sublime triclinium dixissem utiq;,
nisi dolendus, quem lugemus ad præsens eventus,
non abesse his quoq; rupibus undas cunctos edocens,
me in contrarios rapiat sensus.
Non desunt fatales Curijs curæ, ipseq; eminens Pirei gurges
periculosis obruitur vorticibus.
Veneranda Subselliorum majestas vel ideo sublimis tantùm,
quia aliorum insidens causis, suæ indulget minimè integritati,
Pervigil Areopagitarum potestas ideo maxima,
quia supremæ vicina tempestati
Summos namq; viros summa pericla manent.
Non fruitur his, quos præbet securè somnos vilior casa, excubans Archidamus
quem sacrum divæ Themidis imperium omnibus mancipavit
sic
servire is, qui imperat, cogitur iustitiæ.
Non est tamen servile quod legitur mancipium, aureæ sunt compedes,
torques non insolubiles, nec adeò animos extorquēt mortaliū
quin sanari queant;
Imò,
felicē hunc dixerim, qui Superis par ipsis officium amplexus
hac tantùm premitur solicitudine.
Aliud tormentum est, justitiæ pulsans officinam,
Alia vis, roburq; stupendum, leges & Iudices simul
miserabili subruens impetu;
Infaustus funestæ mortis ictus, hic universa tribunalium commovet Archiva.
exitialis sævæ Lachesis ingruentia, hæc fatalem portendit exitū
Legi, Regi, communiq; populorum turbæ
Heu crudelem fati inclementiam!
Vbi potestatis tranquillæ securum censetur asyllum
stra-

ſtrata jacent mortaliũ cadavera, convulſi codices, violata jura
mactati Iudices.
Tam enorme prima fronte intuens ſpectaculum, diceres favo-
ſequi reos, reatum inſontes. (rem hîc
Quorſum imperioſa Octaviorum ſedes?
ſua jam non defendit Pritanæa, exoſa judicijs non tollit præ-
Quorſum pii Aquiliorum conatus? (iudicia
Permittunt iam publicam Prætoriis inſerri violentiam,
exili detenti ſuis cum Authoribus urnâ
Non vetant quos olim nominare erubeſcebant auſus.
Et quamvis *Leges ſub leges mors vocet atra ſuas*,
viam venturæ non præcludunt calamitati:
Vi nempe mortis præſente, lex nullitatis.
Inter ſævas Libitinæ falces ſilent iura.
Summum tamen jus ſumma injuria non ſemper comitatur, aut certè
ſi nimis inſtat aliis, aliis blanditur.
Ereptum terris tribunal denſos in orbe movet eiulatus,
at verò Olympo, qui iuſtis gaudet Iudicibus nova inſtaurat gau-
debitumq; Iuſtitiæ parat Holocauſtum. (dia
Spectate quos ventura complectentur luſtra,
quos ſeros gignent ſæcula poſteri,
ab umbris, magni olim Archicathedralis Areopagi Catonis
Perilluſtris & Reverendiſsimi Domini
D. GASPARI CHUDZYNSKI
Sacræ Theologiæ Doctoris, Eccleſiæ Archicathedralis Gne-
ſnenſis Canonici & *I*udicis Surrogati,
clarius evidentiæ ſumite argumentum:
Hic
Implacabili diræ mortis ſublatus tyrannide ſerum quidem, aſt ſerium
omnino Gneſnenſi *A*rchivo cauſavit dolorem ac mærorem.
Quod
Vtinam aut caruiſſet illo, aut ſi non caruit, non amiſiſſet unquã.
Excelſa nihilominus Arx Tonantis, præſenti gaudet auſim dicere fato-
Nam
æquior ille Marius, cælo ſe Iudicem Surrogatum, divæ Themidi debitum præbuit
Holocauſtum,
Vtpote cui

Cui vitam dediderat omnem novissimo mortis actu in victimam transformandam:
*I*ta quippe eximiis illustria factis dispofuerat lustra,
ut nec minimùm continerent opus
quod iustitiæ non litaret;
Felix Parrhasius,
cásta placere superis bellè noscens, albicante virtutum candore, & purpureo
nativæ verecundiæ ostro vernum ætatis depinxerat florem,
quem Agni delicium immaculati auderes nominare non immeritò.
Quid mirum?
Nobilioribus victimis intaminatæ servantur mentes.
Hic cādore condecorat animū, purior iustitiæ victima futur9
Æquam maturioris judicij nactus bilancem, quæcunq; peregerit unquam,
omnia in æquilibrio.
sacris divæ Themidi persolvēdis aptior ut evaderet Lycurg9
Serenissimorum Regum æquas condentiū leges unicam Filiā,
generalem Regni adiit Scholam,
cuius faventioribus exceptus ulnis,
veluti in ara Diuis sacra bonis positus soli vacabat æquitati;
Communem juris regulam *rectè vivere* cultiori literaturâ perpolitæ indoli ita in-
ut scientiæ ac probitatis unicam ædem in illo existimares; iungebat
Hinc
omnibus notus, nemini iniucundus,
ne diuturno comparata sudore in illo, alios inflans prævaleret *sapientia*
profundæ humilitatis non leve animo immisit pondus,
non esse sapientem nisi probum meritò putans.
Sic
humi serpens dignum erudito Imperio Caput,
decuit in altum honoris euehi theatrum,
decuit sacratam justitiæ victimam Doctoralibus redimiri laureis,
quibus taliter cinctus, coronam, meritorum illustrem cy-
meliis, alacri nectebat animo, Archivo æquitatis inferendam.
Ordine referrem debito,
quæ eruditus numeravit laborum pretia *A*cademus,
sed hæc imitari tantùm concessū est & mirari non enarrare
quorum partem quamcunq; si relinquerem major fandi copia restaret ex alijs
Sufficit;
veri in statione Academica stadiodromi probata virtus,
promulgatrice non effertur buccinâ
cùm

cùm ipſà ſibi laudem ipſa dignum ferat trophæum.
Coronatus iam non Capitis ſed virtutum Capitolii vertex,
Perauguſti Gneſnenſis Capituli favore præfectus aliis,
ut hos erudiret ad iuſtitiam,
ipſe inſigne Iuſtitiæ holocauſtum & genuinum meritorum
Seminarium.
Honos & onus cognata nomina tum demum in ſe referebat,
quando Traiano felicior,
nullum perdiderat diem, nullum conſumpſerat momentum,
ſummum ex laboribus ſuis ſumens oblectamentum.
Adeoq; (probavit
Dignus in Gymnaſio Præſes, Optimus in Baſilica Myſtes quantùm egerit, eventus
Arriſit hocce decorum probitatis Capitolium Illuſtriſsimo
L E S C Z Y N I O R V M Capiti,
cui viſum eſt nec immeritò, ne ſpectata illius dexteritas,
vix aut rarò certè reperibilis in rebus agendis promptitudo,
debito deſtitueretur honore.
Bene ſanè conſuluit iuſtiori animi propoſito,
Celſiſsimus & Illuſtriſsimus Princeps
VENCESLAVS LESZCZYNSKI
Primas olim Regni primuſq; Princeps
Archiepiſcopus Gneſnenſis,
Qui
Eximiæ virtutis virum veluti pretioſum ſapientiæ ac ſcientiæ unionem
Doctorem Theologum, Jlluſtri Perauguſti Capituli Gneſnenſis
inſeruit coronæ.
Digna certè tanto virtus præmio, quanta non auſa rerum molimina!
Activitas fidi pro domo communi Oratoris Policratidem,
Facilitas diſtorta unientis corda mediatoris Veſpaſianum,
Liberalitas munifici egenorum Protectoris Aurelium,
Probitas zelantis pro honore Numinis Conſtantinum,
adæquabat.
Tot inter animi decora
Mirum profectò quod innatà ſubmiſſione magis quàm excellentiâ allaboraverit.
Hac igitur virtutis viâ ſublimiorem conſcendit gradum, illum ſcilicet,
quem ad excelſum iuſtitiæ auguſtale primum & potiſsimum
arbi-

arbitratus est.
Nimirùm
remunerantis favore Numinis, & benigniori Magni Principis arbitrio
electus Iudex Surrogatus, tum demum sacris Themidi
ritè persolvendis se accingebat,
quo in munere decem expeditis trieteridibus
convictis possibilem indulgentiam,
victoribus favorabilem plausum concedebat.
Et quia summam laudis æviternæ portionem credunt pleriq;
nec falsò quidem, summis placuisse viris;
ergo sufficiat compendio nunquàm moriruræ famæ,
argumento toti mundo notæ virtutis sufficiat hoc unicum:
quot Sarmatici Orbis indefessos stante dulcioris vitæ usurâ numeravit
Atlantes Illustrissimos Regni Primates Lesżczynios Prazmovios, Olszovios, Wydzgas, Rádzieiovios,
tot horũ, primus ante omnes ob singularem animi venustatẽ
possedit favores & respectus, maiores diutiùs possessurus,
ni fatorum malevolentia invidisset.
Et sic
illorum vehementiâ proh dolor victus, decrescente jam ætatis suæ Octobri,
Iustitiæ cessit in holocaustum.
Nasciturum præcessit Infantem,
ut aut appropinquanti obviam iret Iudici,
unus quasi è Senioribus coronam meritorum suorũ daturus
Salvatori,
aut ne supremum Cæli vacaret Parlamentum,
Iudex vocatus Surrogatus. (Mystes
Vtcunq; sit; comitatur nihilominus Te Magne supremi Dei
Perillustris & Reverendissime Domine
dolentibus lachrymis tinctus calamus,
& vivas ut in æternum gratitudinis promit,

HOLOCAUSTUM.

Panegyricus Serenmo Regi Augusto